



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.





A. A. C. C.

DISPUTATIO  
EXERCITATIONUM PHILO-  
SOPHICARUM XXXIX,

De  
**LIBERALITATE,**  
MAGNIFICENTIA, MAGNA-  
nimitate, & Modestia.

Quam,  
DEO ADJUTORE,  
SUB PRÆSIDIO

**M. TOBIÆ TILEMANI**

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,  
*Liberalis exercitiij gratiã defendendam suscipiet,*  
**WILHELMUS EGGELINGUS,**  
Cella-Saxo.

*In celeberrimã VVittebergenſi Academia,*  
*ad diem 11. Maij, hora 6 loco solitis.*

Seneca lib. 4. de benef. c. 24.  
*Virtus non recipit sordidum amatorem.*

WITTEBERGÆ,  
Typis Iohannis Gormanni, ANNO M. DC. XI.



linis. 4. Exi  
iis sumptu  
Nam excu  
a omnem re  
voluptatem  
1.  
vel, Ciceroni  
ur, quã  
beneficis ca  
stia, de Tem  
2. Mary  
bellica etiam  
interim me  
mata in bel  
da. 7. Ebi  
n est licita  
poreas dunt





V I R I S  
CLARISSIMIS, EX-  
cellentissimis, Consultissi-

mis, nec non doctrinâ multâ, virtute verâ  
& pietate rarâ præstantissimis,

D. JOHANNI HILDEBRANDO, J. U. D.  
& Illustriss. Celsissimorumq; Ducum Brunsvic.  
& Lunæburgens. Cellis Cancellario,  
prædignissimo,

D. ERICO HEDEMANNO, J. U. D.  
D. STATIO BORCHOLTEN, J. U. D.  
D. FRANCISCO HAUSMANNO, J. U. L.  
eorundem Illustrissimorum Principum,  
Consiliariis peritissimis,

*Dominis Fautoribus, Promotoribus, ac Patronis  
suis aternùm, efflicimq; colendis,*

Hasce positiones Ethicas,  
*In debite observantiæ declarationem,  
suorumq; studiorum commendationem.*

Dicat & consecrat,  
VVILHELMUS EGGELINGUS,  
Cella-Saxo.

## P R A E L O Q U I U M.

**P** Regressâ in Exercitatione restititum quidem, at quantum ejus pro ingenio modulo fieri poterat, exquisitum sermonem seruebamus de duabus virtutibus eximias, quarum alterabilem, altera in Nobis moderatur gloriâ. Jam ad insequentium Virtutum doctrinam jucunditatis & utilitatis pariter plenam, prosperiter illum spectamus, quippe qui pensi habemus istud, quod nec inrectè nec inuere à Xenophonte lib. 2. ἀπομνημ. ex Epicarmo dictum est, τῶν πόνων πωλεῖσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ θεοῖ; Et à Theocrito Idyll. 15. κείρα δὲ πᾶσι τελεῖται. Quemadmodum enim, licet Nobis uti Philonis, acerrimi istius Platonis emulatores, verbis, in lib. de sacrif. Abel f. 33. sine luce videre non possumus, quia nec colores nec oculi ad videndum sufficiant, hanc enim (lucem) seu vinculum natura preparavit, quo cooptaretur color oculis cum in tenebris neuter vim suam exeret: Eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem attingere potest, nisi ab assiduitate & labore, seu luce, adjutus; Hic namq; inter mentem & bonum, quod mens desiderat, medius, illud unâ ex parte, hanc ex alterâ trahens ad se, utraq; manu amicitiam concordiamq; conciliat, atq; ita perfectâ bona efficit. Vice autem hac ad exactiorem paulum reuocaturi considerationem sumus illas virtutes, quæ communi in vitâ simul alios etiam respiciunt, eo quæ primum animum, secundum verò corpus suavè adficiunt, inq; appetitu moderando, quæ divitias, quæ honores, totæ sunt, ut est, 1. Liberalitas, quæ nihil est hominis naturæ convenientius, Cicero, lib. 1. Off. & quæ qui utuntur benevolentiam sibi conciliant, & quod apud est ad quietè vivendum, charitatem, Idem lib. 1. de Finib. 2. Magnificentia, quæ quasi liberalitatis culmen est, & quæ nil splendidius, nil excelsius, 3. Magnanimitas, quæ perfectâ est animi virtus, cuiq; nihil est magnum, Seneca epist. 23. 4. Modestia, quæ Menandri sententiâ, promptuarium seu penu virtutum est omnium, quæq; est habena quasi abjectionis, est animiq; elationis. De quibus quatuor virtutibus, ut paucula insequentia themata apboristica leviter sanè & breviter concinnata, hanc immemorâ noientur mente, est alicujus opere.

### T H E S I S I.

**A**ristoteles Liberalitatem congruè & congruè, in lib. 2. Eth. Nic. c. 7. hunc ad modum definit, quod sit mediocritas in pecuniis & facultatibus tam accipiendis, quam erogandis: seu, juxta eundem breviusculè, est mediocritas in tractandâ pecuniâ, lib. 4. Eth. c. 1. Ejus siquidem objectum internum est amoris cupiditas pecuniarum: Externum verò ipsa pecunia, seu quæ nummis pecuniavè aestimantur, quæq; vulgario in usu bona & facultates appellitantur.

II. Et rem ita habere se, vel ex hiscè probatum datur, 1. quia cum animum induximus alicujus Liberalitatem seu denarrare, seu dilaudare, equidem non respicimus ad bellica ejus facta, aliavè hujusmodi, at unice ad opes, quam scilicet honestè illas tum acceperit, tum legitime expendit. 2. Quia etiam extrema liberalitatis maximè de malo opum usu acceptantur ac intelliguntur, cum illis justo vel nimium, vel minimum studemus.

III. Cumq; pecuniarum usus in duobus habeat, scilicet in expendendo

& in accipiendo; Potissimum sanè Liberalitas in dando illas seu erogando occupata tenetur, 1. Quia is, qui pecunias accipit, possessionem potè & custodiam, quam usum & tractationem respicere videtur, lib. 4. Ethic. Nicom. cap. 1.

IV. 2. Quia omnis virtus in honestorum magis actione, quàm intermissione turpium conspicua est consistitq;: Et verò liberaliter dare est agere honestè, accipere autem secundum eandem virtutem est turpia tantum omittere, scilicet non suprà modum accipere; Ergo. 3. Quia gratia & laus non accipienti, sed est beneficium eroganti.

V. 4. Quia difficilius est dare quàm accipere, ut id in proptulo nimis est: Tendit autem ad ardua virtus, lib. 2. Eth. Nic. c. 3. 5. Ipsa Liberalitatis appellatio propriè de his sumitur, qui liberè dant. 6. Quia id propter quod Liberalitas magis amari solet, quàm alia ulla virtus, videtur potiss: ejus esse objectum ac munus: Illud verò dare est, dum illos omni amoris ardore prosequimur, qui benè nobis faciunt. Ergo.

VI. Liberalitatis verò officium in duobus maximè locatum est, tùm in fine dictarum actionum, dandi scilicet & accipiendi, qui ut omnium aliarum virtutum sic & hujus est sola Honestas: Inde q; qui alio fine sua elargiuntur munera, vel necessitatis ergò, vel spe lucri, aut ostentationis ergò, illorum actiones ad virtutem hanc minimè revocari possunt, lib. 4. Ethic. cap. 1.

VII. Tùm in earundem modo, ut rectè nimirum demus, congrueq; accipiamus, de quo in sequentia præcepta attentè sunt attendenda: 1. Liberalem decet libenter, ac cum voluptate animi dare, quia honestæ actiones viro bono jucunda sunt. 2. Interim non omnibus indiscriminatum dat, verùm saltem dignis, ut sunt viri boni, & inter hos primò omnium sanguine nobis juncti, deinde benè de nobis meriti, & reliqui demum homines, quos vita civilis nobis junxit.

III. 3. Liberalis in accipiendo talem se gerat: 1. Non accipiat unde non oportet, hoc est, ne turpe lucrum querat, & pecunias majoris quam honestatem facere videatur. 2. In rogando ab aliis beneficio non sit importunus, cum benefici sit, non tam promptè ab aliis accipere beneficium, quam sua in alios conferre. 3. Denique ut aliquando etiam ab aliis accipiat, quò habeat, unde rursum aliis beneficiat.

IX. 4. Liberalis ea quæ dat, de suis facultatibus, non de alienis, erogare debet. 5. Idem attentus sit in rem suam familiarem, ut habeat unde  
det.

det, quamvis rarentur admodum liberalis insimul sit & dives. 6. Dabit etiam pro modulo facultatum suarum, ditior quidem plus, tenuioris autem fortuna, minus: Vtriusque tamen virtus par erit, quippe cum beneficia unice ex animo & facultatibus ejus, à quo manant, estimanda sint.

X. 7. Liberalis loci quoque rationem habebit, ut det ubi honestum dare est. 8. Idem in super tempore convenienti pecunias suas erogabit, cum scilicet maxime opportunum erit, cum sibi, tum illi cui daturus est: Quo pertinet etiam illud, ut cito det; Bis enim dat, qui cito dat. 9. Adhuc modum in erogatione servabit, ut postero quoque tempore ipsi sit, unde apud alios beneficia ponat, neve ipse sumptibus necessariis destituatur.

XI. 10. Denique si forte eveniat, ut Liberalis à tramite jam dictorum aberret, inque circumstantiis falsus fuerit, dolebit sane, ac egrè illud accipiet: Minus tamen si in dando modum paulum excedat, quam si iis, quibus dandum erat, non dedit, quia per omnia potiore honestatis, quam rationem pecunie habendam esse, statuet. Hac de Liberalitate ipsa.

XII. Cui sunt duo opposita, quorum utrumque pro respectu actionum distinctarum tum excessus, tum ejus defectus dici quit, Prodigalitas scilicet & Avaritia: Illa est vitium quo quis modum in dando excedit, neque accipit unde oportet, unde ejus necessarium consequens est Paupertas. Interim non unis de causis prodigum multo meliorem avaro esse adserimus.

XIII. Idque, 1. quia ille sanari potest, & facillimè assuescitur ad ipsam liberalitatem, hic verò vix, ac ne quidem vix. 2. Ille non tam malitia, quam videtur stulticia peccare, si nimirum aliquis simpliciter sit prodigus, aliusque non circumfluat viciis. 3. Ille aliis est utilis, multosque juvat: Hic nec sibi nec aliis bene facit, sed potè multis obest, dum semper ab illis accipit l. 4. Eth. c. 3.

XIV. Avaritia, metropolis omnis improbitatis, est vitium, quo minus justo pecunias nostras erogamus, vel aliorum bona supra modum appetimus: Est namque, hoc vitium insanabile, dum generum, dum aliqui Avari in dando sunt, qui minus quam debebant, vel planè nihil erogant, quosque vulgò parcos, tenaces, &c. nominamus.

XV. Aliqui Avari in accipiendo sunt, quorum rursus genera duo sunt: Nam aliqui turpem questum faciunt sordidas exercendo artes, hominesque in contractibus decipiendo, ut lenones, scenatores, &c. Aliqui ob exiguum lucrum maxima pericula & labores subeunt, aut alioqui difficili modo turpè questum querunt, id quod fit à furibus, aleatoribus, &c. Tantum de Liberalitate.

XVI. Porro Magnificentia est mediocritas in magnis faciendis sumtibus, ut illi decenter fiant, lib. 4. Eth. c. 4: Itidem namque ut Liberalitas, circa pecuniarum cupiditatem, ipsasque versatur opes; a qua tamen discrepat, tum quod non simul in dando & accipiendo, at tantum in erogando, tum quod solum in ratione faciendi magnos sumtus, tota fit, cum contra res habeat se in Liberalitate.

XVII. Ob quam rem hac tria ad Magnificentiam omnino requiruntur, 1. Ut non privatus aliquis, sed enim vel princeps, vel in primario constitutus officio, aut alioqui clarus ac praedives sumtus faciat. 2. Ut hi insumantur in publicum aliquod opus, ac notorium omnibus. 3. Ut idem multum erogat, magnosque impendat sumtus.

XIX. Officium igitur Magnifici, ea praeter quae de Liberalis inane dicta, in his potiss. consistit: 1. Opera ejus respondere debent sumtibus, ita ut hi digni videantur operibus, & hac digna sumtibus. 2. Opera autem Magnifici potiss. hac esse debent, partim ut procuret ad cultum divinum pertinentia, partim ut talia in Rempubl. conferat beneficia, quae publicam merentur laudem.

XIX. 3. Eundem quoque in privatis aliquando decet magnos facere sumtus, 1. in negotiis solennioribus, quaeque vel semel tantum, vel rarissime admodum iterum offerunt se, ut sunt nuptiae, celebratio Natalis, &c. 2. In hospitalitate, in structioque solennium conviviorum. 3. In donorum missionibus. 4. In propriarum aedium extructione ac ornatu.

XX. 4. Magnificum in operibus omnibus seipsum respicere oportet, ut se digna faciat, quaeque facultatibus suis congruant. 5. Denique sumtus impendere studebit in res, quae longaevi memoria durare possunt, cum ille nominis sui perpetuam celebritatem relinquere post se maxime cupiscat.

XXI. Huic vero Magnificentiae opponitur, tum luxus, seu stulta magnorum sumtuum profusio, qua modus & decorum in faciendis magnis sumtibus violatur: Tum Sordes, suntque vitium, quo magnis sumtibus nimium parcimus, & dum volumus videri Magnifici, in impensis prius cessamus, quam opus illud ad umbelicum perduximus, lib. 4. Eth. cap. 6. Et haec etiam de hac virtute.

XXII. Caterum Magnanimitas est medietas circa honorem & infamiam, lib. 2. Eth. cap. 7: Dum enim illa occupata est circa res magnas, id quod vel nominis indicio constat, ac cum honor bonorum, quotquot sunt, externorum omnium maximum est; Meritissime hujus virtutis objectum proprium



prium ille statuitur, Magnanimumq<sup>3</sup> esse oportere & virum bonum, & in virtute omni excellentem, ex facili colligitur.

XXIII. Inde officium Magnanimi in tribus potiss: consistit: 1. Ut hanc quasi metam in honoribus spectet, scilicet 1. ut magnus solum, eosq<sup>2</sup> meritos honores expetat. 2. Et hisce à viris bonis, prudentibus & clariss. 3. Propter quos non efferatur animo, sed iisdem moderatè delectetur. 4. Non vulgi applausum capet. 5. Nec curet infamiam & hominum convitia, cum ea non ex merito sibi accidere bene sciat.

XXIV. 2. Ut reliqua fortunæ bona decenter administret, id quod fit, 1. si in divitiis, officiis, &c. moderatum se gerat, atq<sup>2</sup> omnem ad fortunam, & prosperam & adversam, idem sit. 2. Si non planè despectui exponat fortunæ bona, sed in tantum ea se det, quantum nonnihil ad magnanimitatem conferunt. 3. Si aliis superiorem se esse arbitretur, cum perfectè bonus virtuteq<sup>2</sup> sit integrâ.

XXV. 3. Ut in omnibus virtutibus excellat, de quâ sanè re per plurima dicere haberemus, nî validè impedimento esset charæ angustia, quâ de causâ hæc præcipua saltem notamus, quod scilicet in actionibus fortitudinis non nî magna subeat pericula, & hæc quidem cunctanter, inq<sup>2</sup> illis ipsis vitæ suæ maximè parcat.

XXVI. Quod potius aliis det quàm ab aliis accipiat, siq<sup>2</sup> omnino beneficio aliquo afficiatur, tunc id duplo rependat. Quod illos, quos amat, aperte amet, ut contrâ quos odit, aperte irascatur. Quod tam in verbis quàm in factis veritati studeat. Quod non possit, nec soleat ad alterius nutum vivere, &c. lib. 4. Eth. cap. 8.

XXVII. Adversantur autem ipsi tum Pusillanimitas, quæ est vitium, quo iis etiam honoribus nos indignos judicamus, qui jure nobis debentur: Tum superbia, quando majoribus nos dignos putamus, præterq<sup>2</sup> affectamus meritum, ac cujus propria sunt, 1. sui ipsius ignorantia. 2. Curiositas. 3. Luxus. 4. affectata gravitas in corporis gestibus. 5. Φιλανθία, &c. Hactenus quoq<sup>2</sup> de Magnanimitate.

XXVIII. Ad extremum Modestia seu studium honoris est mediocritas in expetendo mediocri honore, ut illud cum modo & ratione fiat: Parili namque ratione illa versatur circa honores, ut Magnanimitas, à quâ non absimili modo differt ac liberalitas à Magnificencia, unde ut plura de officio addamus ejus, haut opera alicujus esse videtur.

XXIX.

XXIX. *Opponuntur ipsi Vitiis duo, in excessu quidem Ambitio, quæ  
quis nimiam honorum cupiditate inflammatus, honores etiam mediocres ni-  
miam, vel sane unde non oportet, expetit: In defectu vero contemptus ho-  
norum, quo omnes universum honores negligimus, neque pro honestissimis  
etiam, & optimis actionibus honore aliquo adfici, in desideratis vel optatis  
habemus.*

XXX. *Memorandum autem notandum mente, Modestiam apud Græcos  
proprio carere nomine, indeque sæpiusculè extremorum suorum adpellatio-  
ne venire: Quocirca inquisite attendendum an in bonam, & sic contem-  
ti honorum ex opposito est, ac pro ipsa acceptatur Modestia; An in  
malam vox illa acceptetur partem, tunc siquidem nimium honorum af-  
fectum notat. Quinimò apud Latinos quoque aliter atque extremorum  
horum aliter significatus sumuntur. Verùm hac vice sat est.*

### ADJECTANEA.

1. *Beneficium sub oculos non venit, sed ejus saltem ve-  
stigium & nota, Seneca lib. 1. de Benefic. cap. 5.* 2. *Qui  
doctrinam aliquem imbuit, vel maximè est beneficus.* 3. *Di-  
vitia omnino sunt licita.* 4. *Vsura tamen, licet improprie  
sic vocitata, quæ à legibus approbata, minimè sub avaritiam  
cadit.* 5. *Et hæc Avaritia, omnium est deterrimum viti-  
um.* 6. *Honor magis est honorantis, quam honorati.* 7.  
*Vnius hominis, ad verum inferendum honorem, satis est te-  
stimonium.* 8. *Ac ille licitè potest ambiri, nunquam tamen  
largitionibus, aliusvè hujusmodi mediis, extorqueri debet.*  
9. *Convenitque etiam ob spem pueris.* 10. *Omnis superbus ve-  
rè stultus est.*

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



3



M. A. C. C.  
P U T A T I O  
TIONUM PHILO  
CARUM XXXIX,

De  
ALITATE,  
SENTIA, MAGNA-  
te, & Modestia.

Quam,  
ADJVTORE,  
B PRÆSIDIO

Æ T I L E M A N I

colleg. Philos. Adjuncti,  
tj gratiã defendendam suscipiet,  
US EGGELINGUS,  
Cella-Saxo.

V Vittebergensi Academiã,  
Maij, hora & loco solitis.  
lib. 4. de benef. c. 24.  
recipit sordidum amatorem.

ITTEBERGÆ,  
Formanni, ANNO M. DC. XI.



Inches  
Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

